



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 6. An datur ignorantia invincibilis Juris naturalis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

ae disconvenientia actûs cum natura rationali ut rationali, & lege divina. Formalis est materialis malitiæ imputabilitas ad vituperium, & pœnam. Nam si actus disconveniens naturæ rationali, & legi fiat leberè, & cum cognitione, vel saltè cum ignorantia, aut inadvertentia culpabili malitiæ, hoc ipso malitia actûs interni imputabilis est ad vituperium, & pœnam: & sic actus est completè, & simpliciter moralis. Si autem non sic fiat, malitia materialis non potest imputari ad vituperium, & pœnam, & sic actus non est nisi inchoatè, & secundùm quid moralis. Nam actus malus adæquatè moralis est actus disconveniens naturæ rationali, & legi, imputabilis ad vituperium, & pœnam. Porro præter utramque actus interni malitiam est etiam malitia objectiva, quæ est specialis difformitas, ac disconvenientia, quam habet objectum cum natura rationali ut rationali, & lege divina.

Q. 6. *An datur ignorantia invincibilis Juris naturalis?*

Resp. I. Non datur neque circa prima principia morum, quippe quæ sunt per se nota, & cuilibet rationis compoti per se obvia. Qualia sunt ista: bonum est faciendum: malum fugiendum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Deus est.

colendus, & amandus, &c. Neque etiam circa præcepta, quæ vel per se nota sunt, vel facile ex per se notis colliguntur, cujus modi sunt præcepta decalogi, ac similia: tum quia & facili diligentia cognosci possunt; & natura ipsa, ac conscientia, inquit Suarez, ita pulsât in actibus eorum, ut non permittat ea inculpabiliter ignorari. Tum quia Apostolus ad Rom. 1. & 2. ait, gentiles contra ista peccantes esse dignos morte, & inexcusabiles, & perituros, haberéque opus legis scriptum in cordibus suis.

Resp. II. Datur in aliquibus ignorantia invincibilis circa quædam præcepta particularia Juris naturalis valde abstrusa, & remota à principiis. *Est Communis Prob.*
 1. *Experientiâ;* nam Theologi etiam Sanctissimi, & Doctissimi, veritatisque studiosissimi, passim in re ad jus naturale pertinente inter se dissident, alii affirmando, alii negando aliquid esse contra jus naturale: quorum proinde aliqui errant, cum ex duabus opinionibus contradictoriis unam esse falsam necesse sit. At hi non errant nisi invincibiliter, cum orationem, diligentiam debitam, & alia media ad affequentiam veritatem necessaria adhibuerint.
 2. S. Thomas, & S. Bonaventura de multis ad legem naturalem pertinentibus inter se dissident. Ergo alteruter erravit in materia legis naturalis: & tamen neuter ullam opinionem ante mortem retractavit.
 Ergo

Ergo si non datur ignorantia invincibilis legis naturalis in aliquibus, alteruter in gravi peccato mortuus est, cum sit gravis culpa docere culpabiliter errorem circa præcepta divina, sicque damnatus est. 3. Quia cum aliqua præcepta sint valde abstrusa, & remota à primis principiis, à quibus sine longo ac difficili discursu deduci nequeunt, facile ignorari possunt invincibiliter præsertim à rudioribus, & hominibus tardioris ingenii, qui non sunt moraliter capaces longioris discursus, & quibus etiam sine illorum culpa possunt deesse occasiones, & opportunitates ad comparandam notitiam veritatis. 4. Quia inter varios articulos hic ordine tertius teste P. la Croix confixus est Romæ an 1685. die 8. Aug. *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem Juris naturæ in ullo homine, dum hic, & nunc contra jus naturæ agit.*

Q. 7. *Quid dicendum de inadvertentia, inconsideratione, & oblivione?*

Not. Inadvertentia est privatio actualis attentionis. Inconsideratio est privatio debitæ inspectionis. Oblivio est privatio recordationis rei aliàs notæ. Undè differunt ab ignorantia habituali, quæ est privatio scientiæ habitualis. Possunt tamen comprehendi sub nomine communi
igno